EXERCITATIO MEDICA AD CVRATIONEM Pleuritici doloris pertinens.

TRADITA PER DOCTOREM Franciſcum de Grajal, Protomedicum Regie claßis multi remium, Hiſpaniarum Filoſophum, atq́ Matematicum, necnon literarum humanarum ſtudioſum.

¶ Impreſſo con licencia en Xerez de la Frontera por Fernando Rey en el año de mil y ſeyſcientos y veynte y quatro.

AD LECTOREM.

VT scias (Lector siue amicus fueris, siue inimicus) qua occasione motus quæstionē quam vides ventilandā susceperim, audi: erat in hac ciuitate Hispanice dicta, Puerto de Santa Maria, quidam homo laborans pleuritico dolore adeò vehementi, vt etiam si plebeius, & pauper esset, cum à nullis remedijs leuaretur, omnes alios Medicos huius ciuitatis vocauit in sui auxiliū, quamuis Medicus qui de eius salute curabat, doctus erat, & vigilans, à quo omnia recte, & secundum artem administrata erant, fuit enim numerus Medicorum ternario compeæhensus, nempe doctores Petrus Bernal, Ioannes Baptista Arsian, & ego: & postquam varijs consultationibus multa, ac diuersa genera anodinorum præcepimus, quousque ad cucurbitulam scalificatam deuenimus (præmissis antea remedijs vniuersalibus) nihil conferre visum fuit, imo continuo clamabat peteus remedium, agitabaturq; hinc & inde impatienter in lecto, & quandoque animi deliquio corripiebatur defficiētibus viribus: tunc vnus ex meis sodalibus surgens dixit sibi videri confugiendum esse ad narcoticornm vsum, siquidē alia remedia nihil proficiebant, & mortis periculū imminebat. Protulit hæc quando ego idem remediū cogitabam, dixit tertius, hoc esse nouum dogma, &

à nullo

à nullo praticantium hucusq; tentatum in pleuritico dolore, & quòd nobis non licebat experiri remedium anceps, & periculosum. Ego autẽ qui in consultatione præsidebam (administratis alijs remedijs pro tunc) rogaui alios vt circa hoc nouum dogma vnusquisq; suum placitum scriberet, meũ igitur fuit quod in sequenti quæstioni vides. Vale.

Vtrum in pleuritico dolore, qui ob vehementiam proternit vires minaturq́ mortem, liceat Medico vti medicamentis narcoticis quando neque reuelentia communia, neque anodina propria aliquid proſunt.

NVLLVM vidi hucuſque Medicũ diſputantem de hac re, & cum quæſtiones quæ ad finem artis expectant, nẽpe ad praxim, maximé vtiles ſẽper cenſentur: non in merito iudicaui hanc in diſputationẽ afferre: hocqué ſub problematica forma, vt vnuſquiſque perpendẽs rationes por vtráque parte, quod ſibi magis placuerit, ſequatur.

Licet ego meam ſententiam in medium proferre nõ verebor, non vt cogam alios in eam deuenire, ſed vt eis perſuaſum velim me in hac re probabilia defendere: habito principio, quod non eſt hic diſputatio, de narcoticis aſſumptis per os, nam vt ſic, expreſſum eſt à Gale. & Auic. poſſe nos eis vti in pleuritico dolore, ſi ocaſionẽ dederit morbus: Galenus enim 7. lib. de comp. pharmac. ſecund. loc. vbi de doloribus internis ſedandis, agit, tradit inter alias quandam confectionem cuius titulus eſt: alia ſedans dolorẽ, ad omnes internas affectiones, qua vtor, & eſt cõfectio opiata, quam iubet præbere pleuriticis, in aqua mulſa. Auiceua vero fen. 10. 3. tract. 5. cap. 3. de pleuritico dolore agens, dicit: & cum vigiliæ fuerint in eis vehementes, tunc neceſſarius eſt ſyrupus de papauere. Loquimur ergo, de narcoticis vt remedia topica ſunt.

Et

Et ad rem deueniendo pro parte negatiua sit primũ argumentum, an non vsu medicorum curantium hunc affectum, siquidem nullum vidimus hucusque in tanta multitudine practicorum persuadentem tale remediũ, imo neque de eo mentionem facientem: ergo quia noscivũ, prætermiserunt: non enim est intelligeudum, quod tanti viri in medica arte tam vigilantes, id prætermitterẽt, si conueniens esset. Nos ergo eos inmitantes abstinebimus ad tali remedia.

Secundo arguitur sic, pectus habet partes membranosas, & ideo frigidas, quare ab intensæ frigidis, vt sunt narcotica, manifesté læditur, vt gaudet moderate calidis, & humidis, quæ quidem dilatant pectus ad respirationẽ, promouent sputũ leniendo, molificando, & coquendo: contraria vero faciunt intensæ frigida. Ergo ab vsu eorum abstinemdum est.

Tertio sic Hipp. in lib. de vict. rat. in morb. acut. vbi ex professo laborat in sedando pleuriticum dolorem varijs, ac diuersis remedijs, de narcoticis nullam mentionem fecit. Ergo non est existimandũ de tanto viro, quòd si hoc remedium conueniret, obliuioni traderet: ergo eo non licet vti.

Quarto sic. Auicena vir in Medica arte nihil prætermittens, ex professo memoratus est de hoc remedio in pleuritico dolore: fen. 10. 3. tract. 5. c. 1. audi locũ expressum: *Et oportet, ne narcotica eis approximes in quãtum potest, ipsa enim prohibent maturationem, & sputũ*: (loquitur de remedijs topicis). Ergo reprobantur ab Auicena.

Quinto sic. Gale. 12. meth. cap. 1. vbi ex professo agit de succurendo dolori vehementi qui prosternit vires, & parit vigilias, in quo casu, quando anodina propria non sufficiunt, ad vsum narcoticorum recurrit, & memora-

moratus est de dolore colico, de oculorum, & aurium dolore, nullam de pleuritico mentionem faciens, cum non minus vrgeat quam alij de quibus mentionem fecerat, quod existimandum est fecisse, quia non conueniunt. Ergo eis non vtendum est.

Sexto, & vltimò. Audi locum expressum Galeni, vbi non solum dicit, quod narcotica nihil prosunt in dolore pleuritico, imo quód interficiunt enecantqué, & est in libro de vict. & rat. cõment. 1. super sentent. 33. vbi ait: *Nempe, in præsenti, & tali pleuritide, postea quam á calidis fomentis, non remissum esse dolorem dixit, statim duo adhibet aduersus dolorem remedia, sanguinis missionem scilicet, & purgationem: nempe eorum quæ ex opio biosciamo, & mandragora conficiuntur medicamentorum vsus dolorosam pleuritidis affectionẽ non sanat, sed sensum tollit enecaqué.* Terribilis est locus iste, quis talia audiendo, non abhorreat vsum narcoticorum?

Hęc sunt pro parte negatiua argumenta quę vt apparet magnam vim habent, & ideo, magnum opus agrediar, si partem affirmatiuam saltim probabilem esse persuadeam: in cuius gratiam sequentem conclusionem profero.

CONCLVSIO.

In dolore vrgenti pleuritico, qualem depinximus in quæstione proposita, probabile est, Medicum posse vti medicámentis narcoticis, quando alia remedia non prosunt: hac seruata conditione, vt non pura, sed cum alijs anodinis permixta eis vtatur.

Duas continet partes præsens conclusio, nam secunda est conditio quæ ponitur in vsu narcoticorum, prima

vero

vero, vſus eorum in caſibns vrgentibus: fundamenta primæ partis, ſunt ſequentia.

Primum ſumitur ex Galeo 3. lib. de Medicament. per loc. vbi agens de vſu narcoticorum in dolore aurium, poſtea, vniuerſaliter loquens, reddit cauſam in comuni ob quam, vtatur narcoticis: & inquit; *At, pharmaca ex papaueris ſucco, omnia ſenſum ſtupefaciunt, & ob id ſane, tunc ſolum illis cogimur vti, vbi nullum aliud mitigatorium doloris contullit.* Duo ex hoc loco coligo, primũ quòd quando alia remedia non proſunt, recurendum eſt ad narcotica: ſecundum quód hoc faciendum eſt, vrgente neceſsitate, namque non ſunt ſecura, imo aliquando periculoſa, non niſi vrgente neceſsitate eis vti oportet, hoc enim ſonant illa verba; *Cogimur vti.* Non enim ſufficit non prodeſſe alia remedia, ad tranſitum in narcotica, niſi cum hoc, vrgeat dolor: ergo præhabitis his duobus, nihil aliud attendere oportet.

Dicet aliquis forté oportere etiam naturã partis conſiderare, nã ſi ex his eſt quæ maxime ab intenſé frigidis læditur vt pectus, non ſufficiũt illa duo tantùm, nempe quòd ſit neceſsitas vrgens, & quód alia remedia non proſint ad narcoticorum vſum: ſiquidem poterit eſſe maior læſio partis, quam beneficium in ſedando dolorem.

Ad hoc reſpondeo: Galenũ vſum fuiſſe medicamentis dictis, in partibus quæ maximè ab intenſé frigidis lędũtur, vt in dolore aurium, & in dolore colico, & quod magis eſt, in affectu frigido, vt in prædicto dolore quando ex flatu procedit, non attendens, neque ad naturam partis, neque ad naturam effectus, etiam ſi remediũ repugnet, ſed ſolum ad vrgentiam doloris, & quod alia remedia non proſunt, quod vero in gratiam partis Galenus

facit

facit, est addere narcoticis, suum correctivum, vt Castoreum opio, ne tantum damnum afferans.

Præterea Gale. 12. lib. meth. cap. 1. & 8. permisit læsionem partis in vsum narcoticorũ, etiam si actio in totũ lædatur, vt visio, vel auditus, dũmodo totum hominẽ à morte liberet, semper intendens in casibus grauibus, & vrgentibus, cum permissione minoris damni maius periculum euitare, quanto minus est vnam partem perire, quam totum.

Præterea: in pleuritico dolore, affectus, nempe inflãmatio, non repugnat remedium frigidum, cum Auic. cap. de opio, dicat conferre ad apostemata calida, licèt id repugnet pars in qua est affectus: vnde si in dolore colico, repugnante parte, & repugnante affectu, Galenus vtitur remedijs dictis, multo magis in pleuritico dolore, vbi solum pars repugnat.

Concludamus ergo secundum Galenũ, quòd in omni dolore etiam pleuritico, dato casu vrgentiæ, & quód alia remedia non prosint, licebit Medico, vti narcoticis, ad hoc solum attendens, quòd correcta aplicentur, postpositis alijs.

Secuudum fundamentum sumitur ex loco Auice. quem supra pro parte contraria tradidi in quinto argumento, nã id quod ibi pro contraria parte adduxi, nunc in meã sententiam affero: & videbis id non frustra esse: locus est iste: *Et oportet, ne narcotica eis aproximes in quantum potest, ipsa enim prohibent maturationẽ & sputum.* Exponens Iacobus hunc locũ, dicit, quód per hoc, in quantum potest intendit excipere, & reseruare casus vrgentes in quibus dicit ipse Iacobus vti oportere narcoticis, vt si dolor ob vehementiam prosternat vires. Præterea in hoc loco tradit causam ob quam non

 oporteat

oporteat eis vti: & est hæc: *Ipsa enim prohibent maturationem, & sputum.* Si hoc solum est damnũ quod inferre possunt narcotica in dolore pleuritico, nullo modo est sufficiens ad prohibendum prędictum vsum, quoniam millies Auic. & Gal. in cruditatem duxerunt morbos ob timorem symptomatũ, quibus placatis, in coctionem morborũ vertebantur, minus periculum putantes esse, morbũ incudescere, quam hominem in mortem abire vi symptomatũ deuictum: & sic dicendum est quòd Auicena loquitur de cura regulari, quando dicit quód prohibentur narcotica in quantũ potest, colligitur ex verbis quæ sequuntur, nam timet ne prohibeant maturationem, & sputum: intendere enim maturationẽ & sputum, cura regularis est. Et per hoc patet solutio ad quartum argumentum por parte negatiua.

Tertium fundamentũ sumitur ab his quę tradita sunt in quinto argumento, vbi Gal. adduxi in 12. metho. cap. 1. agentem de vsu narcoticorum in doloribus vehementibus, memoratũqué fuisse de dolore colico, auriũ, & oculorum, non tamen de dolore pleuritico, cũ non minus vehemens sit: locus est quem audis: *Hac nimirum persuasione ipse quoque tamen si omnium maxime ab vsu grauiter sopientium abhorrens, aliquando tamen ea, & colicis exhibeo, & his quæ vel oculorũ vel aurium, vel aliarum partium vehementissimo dolore cruciantur.* Dico nunc quód etiam si expressé non contineatur in proposito loco, subintelligitur tamen in illis verbis: *vel aliarum pars.* Vbi nullã partem excipere, seu reseruare videtur Galenus, dũmodo à vehementissimo dolore crucietur: cõpræhenditur ergo sub illa particula, dolor pleuriticus quãdo vehemẽs est.

Hic

Hic iterum habes confirmationem eorum que dicta ſunt in primo fundamento, nempe quòd in vſu narcoticorum etiam ſi natura partis ſit de eis quæ maximé læduntur ab intenſé frigidis, non ideo prohibet omnino vſum narcoticorum, cum nullam partem Galenus excipeat, correctionem tamen amat eorũ ne ſibi damnum manifeſtũ inferant: ſufficit ergo attendere ad duo illa prædicta, nempe quòd ſit neceſsitas, vrgens & quód alia remedia non proſint poſt habitis alijs.

Exurgat forte aliquis dicens, quod pectus non debet ingredi numerum aliarum partiũ, ſed excipi, & priuilegiari inter alias ab vſu narcoticorũ ob ingentem actionẽ ſuam ad vitam, ſiquidem inſtrumentum reſpirationis ſimul cum ſcepto trãſuerſo eſt, ob dilatationem, & compreſsionem: nam & ſi Gal. citatis locis dicat permitendum eſſe damnũ vnius partis in vſu narcoticorũ, etiam ſi ſit quo ad vſque actio eius pereat, ne totus homo pereat, in cuius exemplo. 8. capit. lib. 12. meth. loquens de narcoticis hæc profert: *Siquidem non paucos eorum qui his ſunt vſi eo infirmitatis deueniſſe, vt alij fere nihil omnino viderent, alij propemodum ſurdi forẽt.* Hæc tamen non de pectore atque de eius actione ſunt intelligenda, cum ſit actio taliter neceſſaria ad vitam, vt ſi per parum temporis ceſſaret, periret homo, cũ vitam pendere à reſpiratione manifeſtum ſit, poterit enim priuari à tali vſu ſi pectus ob vim narcoticorum taliter ſtupefiat, vt tranſeat in paraliſim deperdito motu. En argumentũ quo nullum maius eſſe poteſt, vt opinor.

Neque ſufficit ad hoc in conſequentiã tradere, quòd etiam in dolore colico adminiſtratis narcoticis, ſi inteſtina in affectũ paraliticum deueniſſent, & ob neceſsitatem actionis eorũ ad vitam totus homo periret, vt

contegisse Auicene traditur in enaratione suæ vitæ, qui mortuus fuit ex narcoticorũ administratione, laborans dolore colico vehementi paraliticatis intestinis. A simili ergo, si in dolore colico cũ periculo totius hominis, nempe cũ damno vitæ vtuntur dictis remedijs Galenus, & Auicena, cur non etiam cũ periculo vitæ licebit Medico vti prædictis remedijs in pleuritico dolore?

Ad hoc respondebit aduersarius, periculum non esse simile saltim quo ad tempus, nam si motus pectoris ob paralisim inductã, per parum tẽporis cessaret, subito periret homo, quod non cõtingeret in læsione intestinorum, sed post dies aliquos in quibus homo taliter affectus poterit à remedijs forte subleuari. Denique non tollitur ex toto in hoc casu spes remedij, ob dilationem tẽporis, in illo vero nulla habetur, ob breuitatẽ.

Audi solutionem ad magnũ argumentum: & vt te dispositũ inueniam, audi prius hoc breue pręambulũ, neque fastidiosum. In rebus humanis, gloriam, famã, honorẽ, memoriam inmortalẽ in ore, & lingua gentiũ inueniunt homines non in facilibus, sed in arduis, in dificilimis, in periculosis, & in his quæ insuperabilia aparent: est enim generosi animi grandia tentare, & ideo multi viri illustres in bello ardua tentantes, & temeraria (iubente fortuna) multa præter humanam spẽ assequiti sunt, accipientes postea ab alijs hominibus coronam, & triunphũ inmortalitatis; vt faciebant Romani. Simili modo in curandis ægris multi Medici ad magnã gentiũ estimationem peruenerunt, difficilia, & ardua aggredientes, & ad optimũ finem ea perducentes, in quo refert Gale. oportere Medicum esse benefortunatum: quis enim videt ægrũ clamantem, & petentẽ remediũ vi morbi opressum, & ob timiditatẽ tentandi remediũ (& si aliquando periculosum) multoties laudabile

bile, fugiat à facie ægrotantis relinquens eum sine vlla spe, vt sororem morbi opressus in desperationē se vertat: ideoque hac ratione motus Cornel. Cels. dixisse exist timo melius esse tentare anceps remediū quam nullū, vocat anceps remedium id quod dubiū finem habet. Quis ergo audiet pleuriticum (vt ad propositū deueniam) clamantem, petentēque remediū Medico, quando alia nihil prosunt, viresque defficiunt, cū periculo mortis (vt ego aliquando vidi) quòd non tentet remedium, & si periculosum, multoties laudabile? hæc tibi sufficiant vt intelligas in rebus arduis semper cū periculo tentari remedia efficacia.

Ad solutionē ergo deueniendo, dico duo, primū est quód ob calidum affectum, nēpe inflāmationem pleuræ quæ ex se maximé resistit frigiditati narcoticorū, non poterit in tantum thoracē affectum esse, vt in paralisim deueniat, siquidē dicebat Auic. cap. de opio. opium conferre ad apostemata calida.

Secundū est, quód dato casu quòd à posito narcotico in parte pectoris laborante, in paralisim transiret, non inde sequeretur motum totius pectoris vitiari, seu aboliri, nam sicut etiā si manus paraliticata sit, non ideo non mouebitur ad motū brachij: ita non quia vna pars pectoris viciata sit, non mouebitur ad motū pectoris, & præcipue cum natura apponat tantum connatū in motu pectoris, vt in apoplexia, reseruet ipsum quando omnes aliæ partes priuantur motu, quod enim ob læsionē partis euenire potest, est vt motus non sit adeò liber, neque bene ordinatus, idem enim quod in magna inflāmatione pleuræ, parte laborante opressa, solet contingere. Et sic habes argumentum magnū solutum: habes etiā primam partē conclusionis probatam: & pro secunda, accipe fundamentum.

Erat

Erat ſecunda pars concluſionis, quód narcotica in dolore pleuritico ſẽper adminiſtrentur admixta alijs anodinis, vt correctionẽ ab eis accipiant, & contra affectũ, & cauſam pugnent: fundamentũ huius ſumitur ex Auic. fen. 10. 3. tractat. 5. cap. 3. vbi tradens cõmunem curam dolorũ pectoris, conficit enplaſtrum cum intenſione ſedandi dolorẽ, & maturandi, ſeu coquendi inflãmationẽ in pleuritico dolore, vbi miſcet anodina narcoticis: locus eſt quẽ audis: *Et ex emplaſtris quæ ad maturationem, aggregant ſedationem doloris, eſt emplaſtrum factum ex farina hordei, & meliloto, & cortice papaueris.* Tria ex hoc colligo: primũ quód vtitur narcoticis in dolore pleuritico: ſecundũ quód id facit admixtis alijs anodinis: tertiũ quòd ſic admixtis non ſolũ non probibent maturationẽ, & ſputum (vt antea dicebat à Auic. loquens de narcoticis non permixtis) imo iubant ad maturationem, & ſputum, & dicit in hoc loco.

Dicet aliquis forte, quód Auic. non exprimit de qua ſpecie papaueris loquatur, nam ſi intelligitur de papauere albo, non eſt ita efficax ſicut papauer nigrũ, & de papaure nigro ſuccus inſpiſatus qui vocatur opium, eſt omniũ ſtupefacientium fortius.

Ad hoc reſpondeo, quód vtraque ſpecies papaueris eſt ſtupefaciens, & licet hoc ſit magis, vel minus in vna ſpecie quã in alia, id non contendo, ſed ſolum colligo Auic. vti ſtupefacientibus in dolore pleuritico, alijs anodinis permixtis, & ſi forte vtitur leuioribus intendens (vt dixit in text.) non ſolũ ſedare dolorem, ſed etiã iubare coctionẽ quando dolor non eſt ita vehemens, quis dubitet, quòd tranſiret ad fortiora ſtupefatientia, ſi dolor vehemens vrgeret, & remiſsiora non ſufficerent, etiã

ſi pro

si pro tunc coctionē non iubarent, imo inpedirent?

Præterea Doctor Ludouicus Mercatus vir in arte Medica (si quis alius) prudens, generaliter loquens de narcoticorum vsu, in 2. lib. institut. Med. institut. 16. dicit quód narcotica non sunt administranda nisi alijs anodinis admixta: verba sunt hæc: *Cum hoc tamen præstantior est is adhibendi modus qui docet, & admiscere medicamenta quæ partim affectui conueniāt, partim causæ, partim vero sint anodina, additis duobus tribusue granis opij.* Quæ doctrina maxime sequenda est in dolore pleuritico. Manet ergo probata secunda pars conclusionis.

Ad argumenta pro parte contraria posita in principio, sic respondeo. Ad primum dico quòd á non vsu Medicorum, non potest summi firmum argumentū, quoniam in Medicina practica, varia placita, & vsus inuenies, in diuersis nationibus & gentibus: alij enim remedia amplectuntur, quæ ab alijs non probantur, mutantes quotidie vsū & varia tentantes, & quibus alijs tēporibus Medici vtebantur hodie non vtuntur, semper in continuo motu existentes, in mutando modū, & remediorum genera. Præterea quia ego solū intēdo probare quod vsus narcoticorū in dolore pleuritico, nō est contra præcepta artis, imo secundum pręcepta, in cuius gratiam, non vsus nullā vim pro contraria parte habent.

Ad secundū dico quòd concedo totum argumentū, & quòd sic faciendum in cura regulari verū in cura vrgenti etiā cum dāno partis tentanda sunt remedia efficatia quando alia non prosunt.

Ad tertium dico quód Hipp. in dicto libro de vict. rat. dirigit totum suum connatum in taliter sedando dolorē, vt disoluat cū calidis fomentis in sua causa si possibile

fuerit

fuerit absque alio remedio, nam dicit ibi, lateris autem dolorem tentare calidis fomentis primum dissoluere, nō abs re est: & in consequentiam huius incipit numerare consequenter fomenta calida, dicens: fomentorum autē calidorum, &c. Et prosequitur id speciatim in alijs sentē. tijs: cum autem narcotica non sint fomenta calida, neque de genere eorum quæ sedant dolorē, auferendo suā causam, ideo de eis non memoratus est Hipp.

Ad quartum dico, quód Auic. loquitur de cura regulari, & non de vrgenti: vide secundum fundamentnm pro nostra opinione.

Ad quintum dico quòd non expressé in dicto loco Galen. mentionem fecit de pleuritico dolore, voluit tamen compræhensum esse, vt patet ex suis verbis. Vide fundamentum tertium nostrę opinionis.

Ad sextum vbi tradidi locum Galeni inexpugnabilē primo aspectu, audi solutionem. Hipp. in lib. de vict. rat. agens de adhibenda ptisana in morbis acutis, assignat occasionem, & tempus in quo nocivum sit pleuriticis ptisanam administrare, cuius placitum audies in sentent. 3 ex cōment, 1, Gale. qui sic se habet: *Præterea si lateris dolor assiduus est, calidisqué fomentis non remittitur, sputumqué non procedit, sed summé citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem, vel alui emolitione, vel secta vena pro vtriusque indigentia soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.* In comprobationem huius sententiæ, Galc. in cōment. hęc profert: *Ægro autem ita affecto si quis ptisanam dederit, prius quam dolorē vel secta vena vel ventris euacuatione soluerit, hominem*

nem perimet. Causam ob quam necesse sit in adhi-
bitione ptisanæ prius sedare dolorem, assignat Gale. di-
cens dolorem continuum & implacabilem à calidis fo-
mentis, esse signum quòd inflãmatio iam peruenerit ad
summum vigorem, in qua occasione & tempore, ptisanã
grauiter ofendere pleuriticos, affirmat. Volunt ergo hic
Hipp. & Gale. quód quando dolor non remittitur à cali
dis fomentis, tentemus eum soluere, vel sanguinis mis-
sione, vel purgatione secundùm exigentiam casus: quę
quidem remedia auferre dolorem in sua causa, manifes-
tum est, siue reuelendo, fluxum humoris ad partem inflã
matam, siue aliquid euacuando de causa coniuncta, quo
mediante cadet inflãmatio à summo vigore in quo nos.
ciua est ptisana: dicebat enim Hipp. lateris autem dolo-
rem tentare calidis fomentis primum dissoluere, non ab
re esse, & postea his non conferentibus, transit ad alia duo
remedia dicta: vltra progrediens Galenus hæc profert:
Nempe in præsenti & tale pleuritide, &c. Et est
text. propositus in argumet. 6. ad quem recurre. Dicit er-
go quód Hipp. in prosecutione eorũ quæ dicta sunt trãsit
statim, hoc est nullo alio remedio interposito, ad duo re-
media dicta, scilicet ad sanguinis missionem vel purga-
tionem quando calida fomenta nihil prosunt. Et postea
consequenter dicit Gal. *Nempe eorũ quæ ex opio, &c.*
Vide argumentum sextum. Est ergo ac si dixisset quoniã
si nihil proficientibus fomentis calidis statim, hoc est
immediate transiret Medicus ad vsum narcoticorũ præ-
termissa sanguinis missione vel purgatione interficeret
ægrum. Et hoc propter duas causas, vt existimo, vna est
omissio magni remedij in inflãmationibus: altera vero
est quód omissa euacuatione ob plenitudinem, occurre-
ret ad partem inflãmatam magna humorum copia, qua
de causa inflãmatio magnum augmentum susciperet, &
per

per consequens esset magna obstructio, quam scilicet narcotica augerent in crasando & comprimendo humores, vt extinguerent calorem nativum ipsum suffocando, parsque in corruptionem abiret: loquitur ergo Gal. de damno narcoticorum quando inordinatè administrātur, hoc est non præmissis remedijs dictis: nam cum propositio narcoticorum referatur ad propositionem ptisanæ, eo modo quo est vera propositio ptisanæ, erit etiam vera propositio narcoticorum, propositio ptisanæ est hæc: qui ptisanam pleuriticis dat prius quam dolorem vehementem, soluat vel secta vena, vel ventris euacuatione (non proficientibus fomentis calidis) hominem interficiet: vnde sicut euentus huius est, non seruata conditione, ita similiter euentus narcoticorum quem refert Gal. in dolore pleuritico, erit, non seruata conditione, hoc est quód quando fomenta calida nihil prosunt in sedando dolorem, statim Medicus se vertat ad sanguinis missionem vel ad purgationem; & non transeat immediate ad narcotica, quoniam sic administrata, enecant, vt dicit Galenus. Recurre nunc ad argumentum sextum, & lege totum textum; & videbis hanc esse intentionem Galeni in dicto loco.

LAVS DEO.